

I. N. 3.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE

AD YTO
MELCHISEDECI,

PSALM. CX. 4. COLL. EBR. V. 6.

QUAM,

Conf. Ampl. FACULT. PHIL. In Reg. Acad. Aboënsi.

PRÆSIDE

LAURENTIO O.
LEFREN,

L. L. O. O. & Gr. PROFESS. Reg. & Ord.

Publicæ Bonorum censuræ subjiciet

ERICUS WALLIANDER,

Austro-Finlandus,

V. D. M.

ANNO MDCCLXXVIII DIE VIII MAJI.

IN AUDITORIO MAJORI L. H. Q. S.

A B O Æ,

Impressit JOH. C. FRENCKELL, R. Acad. Typegr.

S:æ R:æ M:is

MAGNÆ FIDEI VIRO,

Nobilissimo

D. NO JOHANNI
E E K,

Supremi per Magnum Ducatum Finlandiæ Dicafterii
Regii Consiliario,

MÆCENATI OPTIMO,

Qui integro quinquennio institutioni optimæ indolis
atque spei filiorum TUORUM præfui, qui toto
illo tempore in nobilissima Domo TUA innumeris bene-
ficiis ornatus fui, qui quoties postea eam revisere conti-
git, apud TE, Mæcenas Optime, semper eundem expertus
sum adfectum, inter inertia terræ pondera me ipse refer-
rem, nisi quavis idonea occasione gratissimum significarem
animum. Quod cum semper privatim fecerim, idem
nunc publice facio, Nobilissimo Nomini TUO. hanc qua-
lemcunque opellam, qua par est animi veneratione, inscri-
bens, TIBI & Nobilissimæ TUÆ Familiæ omnia prospa-
ra atque felicia adprecando. Dum vivam permanens sum

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

Cultor humillimus

ERICUS WALLIANDER.



§. I.

Quamvis tota *Scriptura Sacra*, adeoque *Scripta* etiam *Veteris Fœderis*, ad CHRISTUM, tanquam nucleum respiciant, omnia tamen loca eodem modo ad eum non spectant. Quædam enim de EO expressa continent vaticinia, quæ in IPŒO ita sunt impleta, ut in alio impleri prorsus nequeant: quædam personam, officia, & merita IPSIUS variis cerimoniis adumbrant; quædam characteres exhibent variarum personarum, quæ IPSIUS olim typi fuerunt; quædam denique non nisi valde indirecte ad EUM pertinent, ea tantum tradentia, quæ ad priora rectius intelligenda quomodocunque conducunt. Singula hæc momenta idoneis exemplis declarare pronum foret, nisi ratio brevitatis, quam temporis angustia imperat, id prorsus prohiberet. Hac igitur occasione manere decrevimus intra circum personarum typicarum. Cumque hæc adeo & multæ & variæ sint, ut si singulas vel enumerare vellemus, modum hujus quidem opellæ excederet. Quare ex maximo earum numero unam duntaxat, quæ omnium prope illustrissima est, feligere statuimus. Talem personam nobis præbet *Rex Salem* MELCHISEDECUS, quem *typum* fuisse SALVATORIS Optimi maximi, luce clarius constat ex Psalmo CX. com 4. & Ebr. V. com 6. Hanc igitur

gitur personam hoc Specimine paucis adtingere constitui-
mus, sed ita tamen, ut primaria quaestio versetur
circa *notionem vocis* Davidis Hebraeam דָּבִיד,
cui utcumque responderet Latina Adytum, quam
nos in fronte opellæ nostræ posuimus. Quo
autem successu in hoc negotio versati fuerimus, id
iudicio permittimus Lectorum, quorum benignam
interpretationem nobis etiam atque etiam expetimus.

§. II.

Prius vero quam ad rem ipsam propius accedamus,
Textum Loci Davidici Hebraeam & Paulini
Græcum adponere placet. Sic igitur ille habet:
עַל-דְּבַרְתִּי מַלְכוּי-צָרָה, hic vero
ita: *ἐν ἰσραὴλ εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν ταξιν Μελαχισεδέκ.*
Quum reliqua vocabula utriusque Textus clara &
plana sint, nihil de iis habemus dicere, de voce
דְּבַרְתִּי unice solliciti. Quod hæc vox generalitatem
loquendo aliquam involvat similitudinem, in confesso est,
præsertim si simul adtendatur ad vim præpositionis על,
quæ ei præfigitur. Sic certe visum est PAULO, qui Cap. VII.
com. 15. id κατὰ τὴν ὁμοίτητα Μελαχισεδέκ exprimit,
quod Cap. V. com. 6. κατὰ τὴν ταξιν Μελαχισεδέκ
expresserat. Nec aliter esse potest, quam ut inter *israhum*
& *antiypum*, qui in utroque loco conferuntur, certa
aliqua adesse debeat *convenientia*. Qua autem in
re hæc convenientia speciatim consistat, id alia
& nova est quaestio, quam deinceps solvere conabimur.
Hic similitudini generaliori, quam non exclusam volumus,
aliquantisper immorari placet.

Quid-

Quidquid de MELCHISEDECO nobis scire datum est, id peti debet ex Gen. XIV. com 18. seqq. quo uno in loco hujus Sacerdotis fit mentio. Hic vero sequentia tantum momenta de hoc singulari homine memoriæ prodita leguntur, quod nimirum 1:º nomen ipsi fuit *Melchisedek* 2:º quod *Rex* fuit *Salem*, 3:º quod ABRAMO, ex pugna cum hostibus LOTI, vicinorumque regum redeunti, *panem & vinum adduxit*, 4:º quod *Sacerdos* fuit *Dei altissimi* 5:º quod *Abramo benedixit*, & 6:º quod *Abramus ei decimas dedit* ex omni præda, quam a debellatis regibus reportaverat. Quam scite & docte PAULUS hæc omnia similitudinis momenta ad CHRISTUM retulerit, eor. minus necessarium ducimus hic prolixius exponere, quod integrum Apostoli discursum in Epistola ad Hebræos capite VII. quilibet legere potest, ibique simul discere, quam excellentes CHRISTI characteres hic Apostolus etiam ex *negativis* quibusdam *circumstantiis* MELCHISEDECI, pro divino suo ingenio exsculpsit. Exinde enim, quod Sacræ Litteræ nusquam nec *patris*, nec *matris*, nec *generis*, nec *ortus*, nec *obitus* MELCHISEDECI mentionem faciunt, ex singulis his circumstantiis rotidem momenta similitudinis CHRISI & MELCHISEDECI derivat.

§. III.

Non dubito fore plerosque, qui cum hæc omnia significatione vocis מלך כהן generali, *Magistro Apostolo*, contineri cognoverint, supervacaneum judicent de significatione ejus speciali adhuc movere

quæſtionem, præſertim cum hoc tantundem eſſe
 videatur, ac tantum Apoſtolum oſcitantia, aut i-
 gnorantia accuſare velle. Hi ſi didicerint, tantum
 abeſſe, ut PAULUS ſpecialiorem hanc ſignificatio-
 nem aut oſcitantia, aut ignorantia præterierit, ut
 potius eandem exſerto quaſi digito indicaverit. Niſi
 enim valde fallimur, ad eam reſpexit, cum CHRIS-
 TUS *εις αυτών τον θρανόν*, Levitici vero Sacerdotis *εις*
χρηστήματα αγία ingreſſum meminit Ebr. IX. 24. Ne-
 que enim MELCHISEDECO ſacra facturo, precibus-
 que vacaturo *templum* fuiſſe legimus, quod ingre-
 deretur, neque ADYTUM ad quod ſe converteret,
 ſed muneri Sacerdotali vacantem ſub dio verſari,
 ſeque non ad certam aliquam plagam, ſed ad *ipſum*
Dei thronum covertiſſe, eo eſt credibilius, quod lau-
 dem *ſummi Dei Sacerdotis* tempore Abrami non me-
 ruiſſet, niſi ſinceram retinuiſſet antiquam *Patriar-*
charum religionem, cujus ſimplicitas in Sacris Litte-
 ris neque pauca, neque dubia reliquit veſtigia. Quor-
 ſum vero hæc ſpectat obſervatio? ut eo melius Per-
 cipiatur & eo facilius admittatur, quod mox de
 vera notione vocis דברתי adlaturi ſumus. Niſi e-
 nim valde nos fallit opinio, idem valet quod no-
 men cognatum דביר, quod *Adytum* Lexicographis
 ſignificat, uon male quidem, ſed melius tamen *il-*
lum ipſum mundi tractum, verſus quem religioſi faciem
interprecandum convertere ſolent, qui ſane locum o-
 mnium ſanctiſſimum indigitare debet. Huiusmodi
 tractus Arabibus *Kibla* dicitur, ſæpiusque de *temple*
Meccano Muſelmanorum & Hieroſolymitano Judæorum
prædi-

prædicari reperitur, quia utriusque generis homines ad suum templum se dirigere solent precantes.

§. IV.

Sed quomodo, inquires, fieri potest, ut idem significet קבלה Arabum & רברה Hebræorum, cum tamen ex Lexicis constet, illius radicem קבל anterioritatis, hujus vero radicem רבר posterioritatis significationem habere? Hic vero nodus solutu facillimus erit, modo ad contrariam rationem Religionis Judaicæ & Muslamicæ attendere velis. Ipso jam tempore Abrami cultus *Ignis atque Solis* totum fere orientem instar diluvii inundaverat. Quotquot igitur sensu religionis adficiebantur, ii *solem orientem* adoraturi faciem versus hanc mundi plagam vertebant. Hinc factum est, ut ANTE significare inciperet *orientem*, PONE *occidentem*, DEXTRA *meridiam* & SINISTRA *septentrionem*. Atque hæc appellandi ratio communis est omnibus dialectis orientalibus, ne excepta quidem Hebræa, de cujus interna sanctitate tantopere sibi gratulantur Judæi sua omnia ultra modum extollentes. Nihil igitur mirum, quod קבלה, cujus radix קבל, *ante esse*, vel *anteriorem esse* significat, adhiberi potuit ad denotandum id, ad quod se vertant orantes. Quomodo vero רברה, cujus radix רבר, *pone esse*, vel *posteriorem esse* significat, idem denotare possit, Id paulo diligentius exposuisse non poenitebit. *Unum Deum colere & omnem Deorum pluralitatem abominari ipsa quasi*

quasi anima erat religionis, quam instituit Moses. Omnia alia dogmata impune in dubium vocari poterant a populo, cujus ille legislator erat, sed hoc unum sub pœna capitis propositum fuisse innumeris *Scripturæ* testimonijs constat. Hinc reliqua omnia statuta, quæ ab ipso profecta sunt, huic uni tanquam basi nituntur, in eoque ut in centro quiescunt. Ut exemplo rem illustrem, ad *structuram tabernaculi* provocare juvat. Hoc enim ita adornatum erat, ut Sanctum Sanctorum, quod Judæorum *כבוד* esset, ad partem ejus accidentalem spectaret, quo sic Judæi adoraturi & precaturi faciem verterent ad *plagam plane oppositam ei*, ad quam se vertebant reliqui orientis populi, qui solem adorabant orientem. Atque ita, ut opinor, satis & claram & certam reddidi rationem, cur nomina tam diversæ, immo contrariæ significationis, si etymologiam spectes, idem materialiter denotare possint. Quod si igitur quæras, quodnam sit *כבוד* MELCHISEDECI, seu quorsum se ille verterit oraturus? facile quisque intelligit, hoc neque orientem, neque occidentem versus factum esse, cum neque idololatra fuerit, qui Solem adoraverit, neque se dirigere potuerit versus adytum Judæorum, quod institutum demum fuit tempore MOSIS, qui ABRAMO, cui cœtaneus fuit MELCHISEDECUS, sex saltem generationibus junior fuit, quæ temporis distantia annos supra quadringentos complectitur, docente PAULO *Gal. III, com. 17*. Numero utimur rotundo, quia ratio instituti exactum non postulat. Relinquitur ergo

ergo, *ἰπϣυμ ἰννυερε καὶ λυμ, ἰν quem*
CHRISTUS, redempto genere humano, adscendit, æ-
 terno sacerdotio intercessione nunquam desinente fun-
 cturus. Hoc eo certius adferimus, quod **SALVA-**
TOR Optimus maximus, cum exinanitus potesta-
 tem miracula edendi a Patre precibus impetrare vel-
 let, eas fuderit ἀναβλέψας εἰς τὸν ἕρανόν, oculis ver-
 sus cælum sublatis. Hunc certe locum respexit,
 cum quinque panibus & duobus piscibus, quibus
 quinque millia hominum saturaturus erat, benedi-
 ceret, ut constat ex *Matth. XIV. com. 19. Marc.*
VI. com. 14. Luc. IX. com. 16. Et cum sanaturus
 esset κωφὸν μοιλάλον, de quo legimus *Marc. VII.*
com. 34. Atque ita pro ratione temporis propo-
 situm nobis argumentum, quam fieri potuit, bre-
 vissime exposuimus. Multa quidem addi potuisse,
 fatemur, sed quoniam res angusta domi modicas
 etiam impensas deprecatur, his paucis contenti es-
 se cogimur, præsertim cum in multis otium nobis
 fecerit ipse **PAULUS**, qui locum Davidis ita ex-
 haufit, ut ne minutissimam quidem *circumstantiam*
etymologicam præterierit, ea quoque adducta, quam
 nomen urbis, cujus rex fuit **MELCHISEDECUS**,
Gen. XIV. com. 18. suppeditat. Interea, si cui vo-
 lupte fuerit periphrasin totius oraculi Davidici le-
 gere, sic eam recte adornari posse putamus. Ego
JEHOVA, qui semper idem sum, **TIBI**, o **JEHOVA**,
 qui aequè æternus es & immutabilis, juramento nun-
 quam pœnitendo, nec revocando æternum confero Sa-
 cerdotium, non quale illud fuit, quod mortali **AARONI**

*cessit, qui preces pro populo fusurus ADYTUM MA-
NU FACTUM intrare & faciem versus ecclesiam
convertere tenebatur, sed quale olim obtigerat MEL-
CHISEDECO, qui AARONE multo major, pro ADY-
TO habebat IPSUM COELUM, quo se inter precan-
dum vertere poterat, ubicunque esset & quodocunque
vellet, in eoque tuus erat typus.*

